Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA DE PHRENITIDE,

EX

EPITOME PRAXEOS CLINICÆ

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORUM SAXONIÆ DUCUM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII,
FACULTATIS MEDICÆ h. t. DECANI

EODEM PRÆSIDE,

PUBLICÆ PHILIATRORUM DISQUISITIONI SUBIECTA
a
FRIDERICO FERDIN. Kaltschmidt/
VRATISLAVIENSI SILESIO,

IN AUDITORIO MEDICO,
HORIS CONSUETIS,
A. D. *Maii* *ANNO* CIↃ IↃCC X.

IENÆ
LITTERIS KREBSIANIS.

VIRO
Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo
DOMINO
FRIDERICO KALTSCHMIDIO
MEDICINÆ DOCTORI
CELEBERRIMO
SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS
PERSONÆ ET AVLÆ MEDICO
COLLEGII NATVRÆ CVRIOSORVM COLLEGA
MERITISSIMO
ACADEMICAS HASCE PRIMITIAS FILIALI QVA
PAR EST DEVOTIONE SACRAT, OFFERT
ET DEDICAT

FILIVS
ad nutum & obsequia promptus



I. N. I.

De

Phrenitide.


Eculiaris affectus, isque momentosus est PHRENITIS, seu locum affectum spectemus, seu actiones læsas, seu inflammationem, seu febrim, seu delirium, seu omnia potius. Quod enim dicitur communiter, idque vere, inflammationem esse morbum compositum, id nulli magis competit ac quadrat aptius, quam phrenitidi, vbi plurima concurrunt. Hinc ἐπερωτᾶν δεῖ, *interrogare oportet:*

An *delirium* adsit. Est hoc essentiale præcipuum, vel diuisum saltim, & quod maxime sensus incurrit. Phrenitis nulla est, nisi adsit delirium, saltim præsens, quo signatur, non minus, ac alia deliriorum genera. Hoc omnibus reliquis addit pondus, & demonstratiuum est, cum illis sumptum & comparatum hinc cum aliis.

Quale sit *delirium ingenere* phreniticum. Conuenit cum aliis in genere: delirare enim proprie est, loqui, vel agere incongrua, citra causam aliquam manifestam, seu errorem externum. Vtrumque attendendum. Quale sit examinandum, quoad formam non solum, sed etiam quoad materiam; prior vero maioris est indaginis & notæ.

An *mens laboret.* Propria hæc est phrasis, vel periphrasis phrenitidis, & quasi præcipua. Vtut enim idem quoque valeat de aliis deliriis & prædicetur, κατ' ἐξοχὴν tamen τὴν γνώμην νοσεῖν, *mentem laborare* prædicatur de phreniticis, *2. aph. 6.* Mens in phreniticis inprimis non constat, verbis *Celsi*, ἁμαρτάνειν etiam vocat *Hippocrates,* in historia phreniticæ, *l. 7. Epid. c. 29. t. 8.*

An *delirium statim se exerat* in morbi principio. Ita sane

ne non raro fit, & hinc arguit, cauto opus esse in diagnosi. Fit id puta, non sine aliis phænomenis, sed euidentius est delirium, si ita occipiat, reliqua nonnunquam silent, vel non ita referuntur æque.

Sic iuuenis 24. annorum, opinione citius, bene habere visus, adit sacerdotem, & varia incondita profert, ad medicum ablegatus deprehenditur phrenitide laborare incipiens, ordinantur debita remedia, decumbere vix persuasus, inde plenis velis morbus erumpit, delirium augetur, & febris, intra vndecim dies moriebatur.

An & *quale sit delirium* phreniticum. Phrenitis mediat quasi inter maniam & melancholiam, differt tamen ab vtraque, in rei veritate. Interim aduertendum porro, an magis ad illam, vel ad hanc declinet; vtrumque enim contingit. Alii hilares, alii tristes magis, alii medio modo se habent. An *insigne*, an minus.

An *febris adsit*. Vt ad extra ad deliria, vt sic loquamur, magis spectat, ita ad intra ad febres magis. Hoc si non attendatur, facillimus & frequens admodum error committitur, vtplurimum funesto exitu. Id vero vnice definit febris, a phrenitide inseparabilis, non in mania, non in melancholia, qua tali, præsens vel deprehendenda, quicquid etiam de mania quidam velint.

An *febris sit inflammatoria, & comitata*; Dubium prima fronte videri posset, an phrenitis militet in numero affectuum capitis, an potius febrium, & quidem ob ipsam coniunctam febrim. Ast distinctione hac res facile dirimi potest, vel analogo exemplo similium.

Idem enim accidit in aliis, nominatim angina, pleuritide, peripneumonia. Nemo negauerit anginam esse morbum faucium, inflammationem, nemo peripneumoniam esse inflammationem pulmonum, & sic porro. Enimuero quod

febris

febris est in toto, sibi relicta, id inflammatio est in parte, adeoque optime sunt & dicuntur febres inflammatoriæ.

An *febris*, an *phrenitis sit primaria*, an *hæc* potius sit *symptomatica*. Respectiue omnino febris primaria est, quæ præcedit, phrenitis symptomatica, quæ sequitur, eidemque accidit. Non aliter ac idem ad oculum visitur & contingit in angina. Respectiue vero itidem phrenitis primaria hoc sensu est dicenda & iudicanda, quæ non sequitur febrim, sed minimum cum eadem comitata simul corripit. Primaria, inquam, a potiori, vnde fit ordinarie denominatio. Etiamsi non solitaria, ob morbum compositum puta.

Idem quoque in inflammatione renum, hepatis, vteri &c. obseruandum est. Sin secus fiat, morbi sæpe manent & tractantur velut incogniti, minus saltim recte & sufficienter cogniti.

An *phrenitis symptomatica a causa interna vel externa*. Symptomatica omnis, vt febris, ita phrenitis est consecutiua; v. g. vt hæc pateant magis, an phrenitis sit a peripneumonia, elogio & experimento 7. *aph. 12.* quod malum est, ob μετάστασιν ex loco ignobiliori, pulmonibus, ad nobiliorem factam, seu cerebrum, vel saltim adauctam & geminatam sic magis.

An *symptomatica sit phrenitis a vulnere & concussione cerebri* seu capitis, quod toto die fit, nisi præcaueatur. Hinc vero clarissimum est, non omnem phrenitidem esse symptomaticam, sed dari omnino etiam essentialem & sic primariam. Euidens item curatiue h. l. tradi magis phrenitidis tractationem, vt præseruatiue magis in febribus primariis aliis, vulneribus &c.

An *phrenitis sit exquisita* cum febri acuta, an *spuria*, seu notha, minus exquisita. Geminum huic problemati est alterum, an sit *phrenitis*, an *paraphrenitis*. Phrenitis non tantum prædicatur magis & κατ' ἐξοχὴν de exquisita quoad sym-

ptomata, ſed & ratione ſubiecti, eſſentiali magis cauſa & morbo latente in capite, paraphrenitis vtroque nomine ſimiliter, quæ ſymptomata habet minora; τὸ παρὰ enim Græca emphaſi minuit, & quæ aliunde conſenſum infert cerebro, ex inflammatione diaphragmatis. Non ergo eſt promiſcue phrenitis inſania febricitantium, ſeu inſania acuta & in febri, vt *Celſus* vocat, ſed cum diſtinctione. Neque omne delirium febricitantium eſt phreniticum. An tranſitorium ſaltim ſit delirium, pro παραφροσύνη potius habendum, quale quid etiam in paroxyſmis intermittentium aliquando occurrit, & proprie ac reuera phrenitis non eſt.

An *delirium ſit continuum* διαπαντὸς, *an interpolatum*. Habent ſane & phrenetici ſua interualla lucida, vbi & modeſte & prudenter ac ſapienter loquuntur, id vero non promiſcue occurrit, vel locum habet; quo minus vero hoc viſitur, eo peius ſe res habet.

Quo gradu mens laboret, an *verbis* ſolum inconditis, an *ſenſibus* error, an *cogitatione*, an *phantaſia*, an *iudicium*, ſenſus cum *memoria* magis vacillet; an vtrisque, quod peius longe. An inquietus ſit loquendo, garriendo, cum dementia garrula, an verba, an actiones deliræ, an vtraque. Ipſa vero deliria ſpecialia mirum quantum variant, vt temperamenta, ita & deliria phreneticorum.

An *oculi torui*, an *ferociant*, an *emineant*, an *vigiliæ* vrgeant, quæ omnia malum grauius arguunt. An *floccos legant*, an *linteamina colligant*, ob μαρμαρυγὰς vanas conceptas, an *nudi videri* velint, vt in fœmina puerpera notauimus inter alia, an nulla cura decori, pudoris expertes; non omnes enim ſunt vniusmodi hæc phænomena, indeque varians prognoſis & euentus.

Qua *ætate* ſit æger, cuiusque ſexus. Aſſignantur ab *Hippocrate* ætati virili, *3. aphor. 30.* vt pleuritides, peripneumoniæ, ita & phrenitides & cauſi, manifeſte ſic diſtinctæ ab ipſomet. Notabile vero eſt effatum eiusdem, *8. aph. 1.* Quicunque

vltra

vltra XL. annos prouecti phrenitici fiunt, ὀ πάνυ ὑγιάζονται, *non ita valde sani fiunt.* Idem vero valet non solum de fœminis, ipsisque inprimis puerperis, purpuratis v. g. sed & in ipsis grauidis visa fuit, grandiori longe cum discrimine, lethalis pronunciata a *Coo l.1. de morb. c.3. t.9.* vt alias quoque ἐνδοιαςὸς, *dubia.*

An *vomitus* adsit, qui & ipse aliquando visitur, ab ipso *Coo* etiam notatus, an horror, an capitis & colli grauitas. Elegans tale exemplum, cum his & aliis grauissimæ phrenitidis symptomatibus, videri potest apud eundem *l.3. Epid. S.3. ægrot. IV.*

Quænam prægressa, dispositiua, occasionalia, causarum locum sustinentia. An dolor capitis, an menses, an hæmorrhoides suppressæ. Duo notabilia huius rei exempla notauimus & vidimus, vbi dolores capitis intensi & producti, desiere tandem in phrenitidem & suppurationem ipsam.

Virgo generosissima 18. ann. a mensium suppressione dolorem talem patiebatur satis vehementem & continuatum productumque, donec tandem cum delirio phrenitico suppurationem & siderationem, quam vocant, experiretur funestam.

Juuenis Academicus hæmorrhoides expertus, hinc iis destitutus, sui negligentior corripitur dolore primum grauatiuo, hinc punctorio & pulsatorio capitis per vnam alteramque hebdomadem. Tandem vero frons, facies, & palpebræ tumere, pericranium & vertex circumcirca mollitudinem turgidam præ se ferre, cum delirio continuo, erumpente hinc inde ichore non pauco purulento, velut per diapedesin, consequente morte.

An *faciei rubor, & pulsatio temporum*, communia fere suo loco cum peripneumonia, coniuncta, an hæc ipsa præcesserit, per iam dicta. Posita enim vna inflammatione, facile ponitur & altera.

An *pestis* ipsa illam producat. Vti enim carbunculi

non

non solum externi, sed & interni in eadem obseruantur orti, in ventriculo, circa renes, & sic porro; ita etiam ab inflammatione consimili cerebri phrenitis consurgere assolet & coniungi, quod longe pessimum est.

An *hæmorrhoides superueniant.* Vti enim earundem suppressio velificari potest etiam huic inflammationi, ita contra ea fluor earundem salutiferus esse solet, elogio 6. *aphor.* 11. Et legitur quidem in quibusdam exemplaribus nephriticorum nomen, loco phreniticorum, vt *l. de iudicat.* quoque *c.* 10. *t.* 9. id tamen vtrumque bonum est, & pro bono habendum, vt videatur vno loco hoc, altero alterum expressum. Et renum enim inflammationi & cerebri id congruit. Idem etiam de hæmorrhagiis aliis intelligi potest, per memorata.

Qualis sit vrina. An vrinæ tenues, aquosæ, limpidæ, non tinctæ, tincturæ biliosæ expertes, 4. *a.* 72. Id vero maximam notat inæqualitatem & veluti contradictionem in adiecto; notat cruditatem, adeoque acutiem & malignitatem majorem, quod bilis raptum ad caput vocant, ob ἀναδρομὴν quasi. Satis est vredinem in hoc corporis tecto sæuire, & reliquum corpus male simul habere. An οὖρα ἄχροα, *vrinæ decolores*, cum aliis, *l.* 1. *Prædictor c.* 1. *t.* 5.

An *canis rabidi morsus* præcesserit, vel nuper, vel ante aliquod tempus. Ab illo enim demorsi, teste *Dioscoride l.* 7. *c.* 2. inter alia totius corporis, præsertim vero faciei, rubore & languore corripiuntur quoque, adeoque & inflammatione hac aliaque.

An *prægressæ vigiliæ, ebrietas, motus* fortior & enormis, (vnde & inflammationem renum, nephritidem proprie dictam, notauimus ortam.) An vero *moestitia, zelotypia, moeror* animi, inprimis in plethoricis, & scorbuticis subiectis, scorbuto latente calido, & quidem potissimum sequiori sexu, qualia duo maxime exempla nouimus; an potius *iracundia*, & animi furibunda exacerbatio. *Qua-*

Qualis sit pulsus; id vero pro febris & temperamentorum modulo variat. Si febris subdola, delirium, vti ab initio sæpe fieri assolet, mite inclinet magis ad melancholiam, mitior, mollis, frequens deprehenditur. Sin motus peregrini ad alterum extremum inclinantes, etiam celeres magis obseruantur, vel duri, & intermittentes, vel intercurrentes potius.

An *motus adsint tremuli*, vel inconditi & conuulsiui, palpitantes manuum, oculorum, pedum, partium aliarum, omine pessimo. Elegans phrasis est Hippocratica, manus inquietas πραγματεύειν, sibi ipsis negotium facessere, vel se ipsas quoque lancinare.

An *incurii sint*, quoad assumenda, vel agenda, an sitiant, ἄδιψοι potius. Ob calorem enim sitire debebant magis, caussa præsente, sed quia mens laborat, illud non sentiunt, βραχυπόται potius, pauci & rari potus, omnia παρὰ λόγον.

An *vrina non reddatur* suo tempore, ob obliuionem, & incuriam mentis laborantis, an λαθραίως *clam*, latenter, & inuoluntarie, iniussa, non tam emissa, quam dimissa, sine sensu, immemoribus, quod pessimum. An *enæorema* consequatur, etiam nigricans, quod, si quidem coctionem notet & designet, bonum est quoque.

Quomodo lingua habeat, an *aspera*, *arida*, sicca, fissa, hispida, an *cum inflammatione faucium*, quæ & ipsæ inspiciendæ, vel oculorum quoque. An *lingua* sit *tremula*, quod ipsum etiam non solum signum est οὐχ' ἱδρυμένης γνώμης, *non solidæ*, sed inconstantis *mentis*, quæ non est apud se, sed etiam conuulsionis & debilitatis.

An *deiectiones* alui quoque albæ, quod pro desperato habetur non minus signo, ac vrina aquosa.

An *mens redeat*, non tam per interualla quædam lucida, sed cum ceteris signis bonis, successiue, & cum quadam constantia, remittentibus v. g. vigiliis & aliis, quod in bonis præcipue numerandum.

An *somnus obrepat*, isque blandus & conueniens. Vbi enim somnus delirium, etiam phreniticum hoc, sedat; bonum est. An in lethargum abeat, cum obliuione, & ægre excitabilem, vnde facile velut mortis fratrem se gerit. Quo minor est obliuio, eo respectiue melius est.

An *silentium, aphonia*, ἔκστασις μελαγχολική, cum quiete, & motu nullo. Tale quid recensuimus iam superius c. XI. de viro summo, addentes hic, quod ob inopinatum & terrificum nuncium, desubito, maximas anxietates patiebatur, cum madore, manu, cum semel produceretur, tremula, capite solo ad latus v. g. candelæ accensæ moto, ad mortem vsque.

Quomodo vires habeant. Variat id pro acutiei modulo, vtroque velut extremo. In aliis sic satis robustæ sunt. Rusticus quidam cum horruisset, caleretque, tristior visus delirare incepit, non constare sibi, clam se foras proripit die tertio, & per tres integros dies domo abfuit errabundus. Hinc casu ab alio in via inuentus, domum ductus delirare continuauit, absurda loquens, calensque eximie, ab adhibitis medicamentis bezoardicis & alterantibus sibi breui redditus euasit. In aliis marcescunt facile.

An *a priori*, an *a posteriori* magis morbus se prodat. Sane facilis est fallacia circa phreniticos, quandoquidem sæpe habentur saltim pro simpliciter febricitantibus; non raro pro maniacis, cumque his confusi, qualia exempla notauimus.

Quandocunque vero etiam in principio mite est delirium, mitis & subdolus calor, nusquam tuta fides est. Hinc a priori, vt ita loquar, magis præsumenda est semper phrenitis futura, sub suis signis, mania a posteriori. Turpe enim maxime & in hoc casu est medico dicere: Non putaram.

Ciuis quidam ita incipiebat laborare phrenitide, febri & delirio miti viso. Vix per triduum in vsum trahuntur medicamenta morbo agnito a priori, & debita illa. Delirium

magis

magis æſtimantes, quam febrim, adſtantes ſuadent adeundum empiricum famoſum circa delirantium curam. Exequitur parens iuſſui coniux conſilium, adhibentur medicamenta, dimiſſo & inconſulto priori medico, die ſeptimo æger moritur. Sero enim, quod dicitur, ſapiunt Phryges.

Qualis ſit facies, in principio & progreſſu, an *ſaturato rubore* ſuffuſæ genæ, an *vultuoſa* & aſpectu terribilis, an diſſimilis ſui, non retinens priſtinum characterem. An *oculi exerti*, truces, feroces, quæ mala ſunt omina, vt plura alia vberrime ab Hippocrate propoſita non laudemus amplius.

Quamdiu durauerit morbus. Enimvero ταχέως κρίνει, *citius iudicatur* & finitur, rarius paulo producitur, & ſpem vetat inchoare longam, multo minus ſecurum eſſe medicum & adſtantes, ne accidat & hoc loco turpe medico æque ac imperatori: non putaram.

An *frigus extremorum*, vnguium liuor, tremor labiorum, motusque alii conuulſiui, collapſa tempora, pulſus rarus, vel deficiens, vel alia, confirmantia mortem inſtantem.

Præſuppoſito ergo, a circulatione ſanguinis turbata, & localiter impedita, inflammationem συςρεφικὴν meningibus cerebro intextis obortam, phoſphorum cerebralem intemperatum & efferatum reddere, ſpiritus turbare, & totam maſſam ſanguineam ac œconomiam animalem turbare.

Elegantiſſimus locus hæc confirmans eſt apud *Hippocratem l. 1. de morb. c. 28. t. 4.* cum bilis commota ad venas & ad ſanguinem ingreſſa fuerit, ſanguinem ex conſueta compage ac motu dimouet & calefacit. Calefactus autem etiam reliquum corpus totum percalefacit, & deſipit homo, & non ſibi conſtat, præ febris copia, & ſanguinis ad ſeroſitatem transmutatione, & motu non ſolito contingente. Vid. Græca emphatica longe magis.

Hinc 1, *Circulatio ſanguinis ad* ϛάσιν *& ſeditionem abitu-*

riens in ordinem redigenda, difflandus æstus conceptus, eiusque diffusio. Motus inquam, localis in cerebro turbatus, iuuandus, promouendusque & in ordinem redigendus.

Difflant longe optime sudorifera, eaque generosiora & bezoardica, eaque omnis generis, respectiue tum volatilia, tum media, tum fixa, febri vtpote debita, seu inflammationi febrili. Præstat hinc tinctura bez. Michaelis, N. O. essentificata volatilis, liquor C. C. succinatus, liquor C. C. tartareus, mistura simplex sibi relicta, & rectificata, mature statim in principio adhibenda, vt in herba, quod aiunt, malum exstirpetur.

Dissipant bezoardica media, longe optima & tutissima, essentia bezoardica & tinctura essentificata, diascord. Fracast. spec. & confectio de hyacintho, elect. de ouo dictum, quæ reliquis simul indicationibus satisfaciunt.

Dissipant & disiiciunt bezoardica fixa, puluis bezoardicus viperinus, bez. Sennert. pulv. Pannon. ruber, bez. miner. martiale, faba S. Ignatii, lap. bez. artif. de Goa, antimon. diaphor. lap. bez. orient. & occid. theriaca cœlestis, & varia ex his composita ac mixta, suo quælibet tempore propinanda.

Hæc itaque tanquam potiora cordi habenda & propinanda sunt, febri & inflammationi, toti & parti, causæ & symptomati debita, *κατ' ἐξοχὴν* vero motui locali præternaturaliter habenti. Hinc porro

Difflant aer ambiens calidus, vel saltem temperatus, transpirationi velificans. Frigus enim contrarium febri, quam adauget potius, in toto ambitu libertate ætheris promouenda.

Difflat, alterat & circulum in ordinem vocat *Venæ sectio*, vt vtilissimum inflammationum aliarum, ita maxime phreniticæ remedium. Adhibito blando diaphoretico, & bezoardico quidem, a quo merito inchoanda est curatio & maturanda, succenturianda est venæ sectio, itidem in principio magis conueniens, constantibus viribus, coindicantibus a-

liis

liis præſentibus, plethora, euacuatione aliqua conſueta ceſſante & omiſſa, nullo vero contraindicante grauiori præſente.

Vena ſecanda eſt partim in brachio, niſi menſium vel hæmorrhoidum habenda ratione, vbi magis in pedibus eligenda; partim ſub lingua, ſectis raninis venis. Fieri debet ſufficiens, ſed non nimia.

Præſeruatiue quoque commode inſtitui poteſt eadem in vulneribus capitis grauioribus, reuellendi & deriuandi fine; ita enim συςροφὴ & coitio illa ſanguinis inflammatoria & hoc loco disiici & auerti poteſt, ſaltim ne ichoreſcat, nec in pus abeat ſanguis & lympha.

Difflant & circulum ſanguinis eccentricum, phrenitidem daturum, inſigniſſime reſtituunt, in vulneribus & concuſſionibus capitis, *ſacculi* & *fotus* ex herbis cephalicis, betonica, fl. lil. convall paralyſ. anth. roſar. ſtoech. arab. rad. pæon. irid. Florent. & aliis cum vino coctis, & ſedulo applicatis ac repetitis de die ac nocte, ſine interpolatione. Hæc ſcilicet vna ſola & longe optima eſt methodus medendi eo caſu, citra trepanationem vllam, quæ factæ eſt extrauaſationis, nullatenus vero diſſipat. Difflant ſcilicet hæc & vna roborant, ne ichoreſcat, quieſcat, putrilaginem ſubeat ſtagnetque ſanguis extra poros latus.

II. *Fermentum peregrinum localiter illatum vel conceptum,* non ſolum *difflandum* & *annihilandum,* ſed etiam bilioſum illud accenſum, & accendens *attemperandum* eſt.

Reſpiciendus nempe ſecundo loco eſt & corrigendus quoque motus ſanguinis inteſtinus, turbatiuus, ne ſtagnet, & ſtagnando putredinem ſubeat. Contemperant itaque optime v. g. nitroſa, incendiorum internorum extinctiua remedia. Talia ſunt nitrum anodynum, ſeu antimoniatum, arcanum duplicatum, vel triplicatum potius, tinctum & roboratum tinctura papaueris rhoeados, ſpecificatum cinnabari natiua,

vel antimonii quoque, tum per ſe, tum ad partes duas v. g. ℈ß. vel gr. XV. addendo partem vnam ſpecifici cephalici.

Attemperat optime puluis bezoardicus, cum nitrato tali aliquo ſelectiori mixtus, v. g. ad ℈ß. pro doſi, vel amplius ana, datus: ita enim ardori lymphæ & ſanguinis contra itur, ſulphur efferatum infringitur, incoctio lymphæ & inſpiſſatio impeditur, & febri & producto inde delirio ſatisfit.

Alterant, difflant & contemperant *camphorata*, aptiſſima inflammationum antidota, vel ſocianda cum nitroſis, bezoardicis, cinnabarinis in puluere, per dicta; vel dando oleo bezoardico, per ſe vel tantillo etiam eſſ. caſtorei addito, ad neruos tutandos magis.

Alterant inſigniter hæc ipſa *nitroſa*, cum aquoſis & aliis remixta, etiam externa, ſi non actu, tamen potentia, vt epithemata frigida ex aqua ſedi maï. compoſ. verbenæ, fl. ſambuc. tiliæ, roſarum, aceto rutaceo, vel roſaceo, aceto deſtillato, fronti applicata. Neque enim repulſio metuenda ſic eſt, vna interius proſpiciendo archeo.

Alterant imo & *gargariſmata* ex infuſo ſeu brodio fl. papau. rhoeados, cum nitro anodyno roborato, faucibus vna quoque conſulendo, & ob viciniam lymphæ feruidiori in locis his glandoſis.

Alterant, & lympham, vehiculum ſpirituum animalium, contemperant *aquoſa*, decoctum hord. cum C.C. & ſcorzonera, fructibus berberum, ſucco citri roboratum, potiones item diluentes & roborantes, ex aquis bezoardicis & refrigerantibus, fl. ſambuc. ſcorzon. ceraſ. n. rub. id. prophylact. bez. Ruland. pulueribus bezoardicis, extracto ſcorzoneræ, contrayeruæ; cum vel ſine ſir. acetoſ. citr. pap. rhoead. &c.

Alterant apprime *acidula*, & *media*, tinctura fl. papau. rhoead. bellid. viol. clyſſata, indenda in potum, ſpiritus vitrioli cephalicus cum miſtur. ſimpl. rectif. gelatinæ C.C. recentes,

tes, acidulatæ, refectiuæ. Hinc acetum ἀφλέγμαντον audit *Dioscoridi*, quod sit inflammationum remedium.

Alterant & euerrunt bilem etiam rarius aliquando *emetica*, in principio statim ex rad. ipecac. vel sale vitrioli propinato, si quidem fomes hæreat in primis viis, & sic derogare queamus amurcæ biliosæ, magis hinc alterantibus proficuis futuris.

Alterant & imminuunt etiam apprime *clysteres*, ex emollientibus, lenientibus, cephalicis parati, rad. alth. scorzon. pæon. herb. 5. emoll. & alterantibus, beton. fl. chamom. verbasc. sem. 4. fr. mai. lin. fœni gr. ficub. pinguib. c. & sine fol. senn. rhabarb. mechoac. &c. Colat. addito nitro anod. &c.

Conferunt & quandoque in aluo adstricta lenia euacuantia, vt rhapont. ℥ß. c. nitro anod blande laxans vna alteraque sede, ne suppositoria saccharina aliaque laudemus. Quod vero nonnulli clysteribus hoc in casu olea iungere verentur, vix tanti est, vt aliquid caloris metuendum inde sit, quin oleum rutaceum addi impune queat, cum nitro laudato corrigente, temperatiori etiam ipso oleo.

III. *Spiritus eccentrici, turbati, inquieti roborandi, demulcendi & componendi, ac ideæ peregrinæ p. n. reformandæ sunt.* Componunt reuellentia, euocando lympham biliosam, & vt ad alia obiecta versi, alias ideas concipiant. Qualis enim lympha, tales spiritus, quales spiritus, tales ideæ, quales ideæ, tales conceptus, & consequenter talis ratiocinatio, seu mentis operationes.

Talia sunt cucurbitulæ, cum & sine scarificatione, dorso, scapulis, brachiis applicatæ, nisi quid impediat, vel contra indicet. Talia sunt vesicatoria, nuchæ, pone aures, brachiis, imo & quandoque pulsibus, vt quibusdam placet, imposita; vel dolore ipso, vt hoc agant, inuitantia turbatum animum, & malignitatem euocantia.

Roborant & demulcent cephalica temperata, pro re nata etiam excitatiua. Prioris generis esse possunt puluis epilepticus Marchionis, puluis bez. cum cinnabarinis, sulphur antimonii auratum purum, ex cinnabari paratum, panacea solaris, antihecticum Poter. dens hippopot.

popot. vngul. alc. magist. C. C. & similia. Posterioris, inprimis in ecstatico magis statu, silentio, aphonia, lethargo imminente, spiritus salis ammoniaci externe odoratus, & interne, tinctura martis coerulea, liquor ceph. cum M. S. rectificata, &c.

Roborant vice versa, & plus iusto efferatos blande moderantur & refrenant, anodyna, dosi refracta minori, cum bezoardicis data, si vires consentiant, extrema non instent, nec frigeant, madeant, vel tremant artus, sed efferati magis id indicent, vigiliæ vrgeant, & cetera sint paria.

Demulcent hoc pacto eximie *emulsiones* e sem. pæon. 4. frig. mai. papau. alb. aq. ceras. n. fl. sambuc. til. hypnot. Dorncr. & aliis iam tactis formatæ, addito pulu. epil. March. dent. hippop. ther. cœlest. sir. pap. simpl. & sic porro.

Demulcent item *Pilulæ* ex ther. cœl. cum lap. bez. or. ana, inauratæ, iuncta panac. solari, bez. lunari, solari. Enimuero tantum abest, vt *opiata* minori dosi cum neruinis & bezoardicis mixta contrarium & noxium effectum post se relinquant, vt potius insigniter prosint. Sic dari potest mist. simpl. alba cum spiritu vitrioli cephal. & ess. anodyna.

Demulcent enim hæc & præstant insignem opem, non tam, vt olim in vsu erat, grandiori, & completa dosi, ad ligandos spiritus, quam refracta. Vtut enim aliquando ad coercendos æque ac corrigendos spiritus etiam paulo maiori præbio dari possint, id tamen rarius, & non sine grano salis, seu prudentia, faciendum est.

Sic a *Paracelso* id refertur factum in Principe quodam phrenitico, vnde plenissime fuerit curatus, quod & *Finckius* scribit *in enchir. Dogmat. Hermet.* & in illius obseruationibus seorsim, non cum operibus integris excusis, notatum legitur.

Id vero non temere & promiscue imitandum est, & magis forma liquida, & cum bezoardicis, vt tinct. bez. essentific. Ita enim tuto magis procedere licet, ne dicamus, posse confundi vel potuisse symptomata & causas. Sin prudenter & ex lege methodi medendi idem fiat, alia res est.

SOLI DEO GLORIA.